

nis, tamen æquus, nævorum, quos genuit non modo abstrusi difficultas argumenti atque ad notiones & ratiociniorum nexus hodiernos bene exprimendos, latinæ insufficientia linguae, sed, quæ primo forsan nominanda fuisset loco, juuenilium etiam imbecillitas virium nostrarum.



99. Nauström  
dd. 1711.

DISSERTATIO

DE

*TELEOLOGIÆ NATURALIS  
AD THEOLOGIAM CONSTITUENDAM  
INSUFFICIENTIA.*

p. i.

QUAM

*Conf. Ampl. Facult. Philos. Aboëns.*

PRÆSIDE

*Mag. ANDR. JOH. LAGO*

*s. Th. Lic. & Phil. Theor. Prof. Ord.*

PRO GRADÙ

*publicæ confusæ offert*

*NICOLAUS PETRUS HOLMSTRÖM*

*Vic. Sac. in Kelvia.*

In Atrio Biblioth. die XXVIII Junii MDCCCX.

H. p. m. s.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

QITATHEGRI

GRKIS

ΕΛΛΗΝΙΚΑ ΕΛΛΟΓΑΙΑΝΤ  
ΕΛΛΗΝΙΚΟΝ ΕΛΛΟΓΙΩΝ ΟΙ  
ΑΙΓΑΙΟΝ ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ.

ΑΙΓΑΙΟΝ ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ

ΕΛΛΗΝΙΚΑ ΕΛΛΟΓΑΙΑΝΤ

ΕΛΛΗΝΙΚΑ ΕΛΛΟΓΑΙΑΝΤ

ΕΛΛΗΝΙΚΑ ΕΛΛΟΓΑΙΑΝΤ

ΕΛΛΗΝΙΚΑ ΕΛΛΟΓΑΙΑΝΤ



Οτι μεν εν ετι θεος δηλου. τι δε εσι κατ'  
επικαιροις φυσιν, ακαταληπτον τετο ποιει.  
λας και αγρασον.

JOH. DAMASC.

**M**oris fuit antiquissimi & adhucdum multis est, formam Naturæ finalem non pro ratione subjectiva solum, quæ ad ostendendam necessitatem, summum, a quo omnia pendeant, Numen asfumendi, apprime valeat, afferre; sed pro objectivo eriam eandem venditare argumento, cuius ope apodictice demonstretur Dei exsistentia; quæ ratiocinandi methodus eadem mira animos captare solet & delinire lavavitate. Illa namque indeoles est rationis humanæ, ut finium semper & ubique in agendo intendat Systema, ad quod attingendum apta numquam non anquirit media, neque ergo abstinere queat, quin varietatem rerum sensibilium stupendam ad unum referre annitens, multiplex causarum & effectuum, quibus phænomena eorumque mutationes ordinat intellectus & disponit, absolutæ subjungere causæ & fini ultimo.

Ad huncce vero ratiocinandi modum, cum ipsa ratione nostra necessario conjunctum vinculo, si attenderimus, nullo negotio intelligimus; neque materiem, e contemplatione mundi praesentis uberrime hauriendam, illi unquam deficere, neque voluptatem ejusdem non esse comitem perpetuam posse; — Scilicet aperit cordatiori

A

cui,

cuique mundus theatrum varietatis & ordinis, convenientiae & pulchritudinis, ubique obviæ, sive per infinite expansum illam persequare spatiū, sive per infinitam spatiī divisionem eruere eandem coneris, adeo immensum, ut ex notitiis hujusce, quas valuerit sibi comparare vel tenuis noster atque imbecillis intellectus, sermo omnis ad exprimenda miracula tot tamque infinite magna fiat irritus, mensuræ numerique cuncti mensurandi vim amittant omnem, limitesque perdant suos ipsæ cogitationes nostræ, ita ut judicium de ineffabili toto nostrum in stuporem dissolvatur & admirationem, elinguem mutamque, sed eo facundiorem. Ubique effectuum cernimus & cauſarum feriem, subsidiorum finiumque, in ortu & interitu convenientiam miram. Quis immenso non percellatur corporum, orbitas suas imperturbate permeantium, numero moleque & concentu cœlestium? Quis naturæ non miretur vim enormem, vel ingentes montium tractus quasfantis, vel flamas versus sidera & flagrantia saxa eructantis, vel innumeræ corporum organifatorum, animalium, producentis, fustentantis, alentis myriadas? Quis denique — nam exemplorum ubi terminus? — entis intelligentis, lata captus veneratione, non stupeat structuram, nulla arte nostra imitandam, quis facultates intellectus & rationis non stupeat admirabiles? (a) Horum vero omnium quoniam

a) Excelſas magnificorum in natura spectaculorum & sublimium, quo dignant, sensum picturas, affatim præcipue in Hebreorum Poematis occurrentes, videſis. Ies. XXIV: 18-20. XL: 12-24. LI: 15, 16. Iea. V: 22, 24. Joel I: 6, 7, 10; III: 15, 16. Mich. I: 3, 4. Psalm. VIII: 3-9. XVIII: 8-15. XIX: 2-7. XXXIII: 6, 7. LXV: 9-13. XC: 1-6. XCI: 4-12. XCV: 3-7. XCVII: 1-6. CXLVII: 8, 9. I4-18. Job. V: 9, 10. X: 8-12, 18-26. XXXVI: 5-13, 26-31. XXXVIII: 4-17. Prov. III: 13-20. VIII: 22-31. XXX: 3, 4. Enumerandis omnibus quis sufficiat?

quum nihil, in quo est, statum, suapte sponte ingressum sit, unum quodque ad aliam rem, ut causam suam, semper amandat, quæ vicissim ipsum eandem inquisitionem, examen idem ulterius necessarium reddit & inevitabile. Hujus vero investigationis causarum quis sit terminus? Vel in nihili vorraginem ruat necesario tota rerum universitas, vel ponendum est aliquid, extra infinitum fortuitum hocce, in lemet ipso absolute consistens originarium, quod, consiliorum potens idem & sapiens, non coeca vi mechanice operans, sed ut intelligentia libere & spontanee agens, in causa sit originis magnifici spectaculi, illudque tueatur. Quæ vero quum ita sint, quid mirum, si non modo "Philosophi, cum viderent motus mundi finitos & æquabiles, atque rerum omnium rationem, modum, disciplinam, intelligerent inesse aliquem non solum habitatorem, in hac coelesti ac divina domo, sed etiam rectorem ac moderatorem, & tamquam architectum tanti operis tantique muneris"; verum etiam, quibus peculiariter curæ sunt "res ecclesiæ omnesque ex, quarum ordo est sempiternus", Theologi, indicis "e concinentibus inter se mundi partibus, ea uno divino omnia, & continuato spiru contineri", undique congestis, veritatem solatii plenam; "est profecto Deus" (a) scientifico demonstrare conarentur modo; quod quidem conamen Physico Theologiam nuncupari, verbo monuisse sat est.

Jam quidem ii non sumus, qui Physico Theologico  
A 2 huic-

a) V. CECERONIS O. O. Vol. IV. p. 516, 517, 518. Lips. MDCCXXXVII.  
Sparsos vero quid citemus locos, quoniam omnes de *Natura Deorum* libri, ejus sat dulcedinis, suavitatis ejus, ut a percurrentis, ubi lectio ne incepit, prius non, ab exscribendis vix ablineat corollarior quiske.

huius pro existentia Summi Numinis argumēto, vetustissimo, clarissimo, & ad humānam aptissimo rationem, auctoritatis aliquid derractum velimus, vel stulte opinemur, subtilibus abstractae contemplationis dubiis quibusdam ita deprimi posse rationem unquam, ut ne aspectu mirabilium naturæ & majestatis, quam prodit universum, ex quaue ambiguitate erupta, argumentorum ope Teleologicorum, quamquam empiricorum duntaxat, a magnitudine ad magnitudinem, ab eo quod penderet, ad id unde illud penderet, usque ad supremum quoddam & absoluū adscendat. Quin potius KANTIO (<sup>a)</sup>) adiipulamus, estimatione dignum esse hoc argumentum, quippe quum naturæ studium, unde originem haber & augmentum, animet: consilia & fine, ubi observatio nostra illos non aperuisset, constitutus, & physicas nostras, doce unitate, cuius extra naturam principium est, amplificet notitias, quæ rursus in ideam, quæ ipsis auctis præbet, vim exterrunt, fidem in auctorem quendam summum, usque ad firmitatem assensus, cui non potest refisti, augendo. At jure tamē maximo quæri posse existimamus, an firmitatem hoc argumenti genus sibi vindicare possit objectivam & apodicticam, assertumque huius aliena ope nulla indigeat. Ad quam questionem, si accuratius examinetur, negando respondendum esse judicamus.

Veritatem principii, quod statuit certas quasdam in natura res, eatumque possibiliter ex conceptru causarum finalium a nobis esse dijudicandas, arque formam naturæ finalem, sili instar ariadnei nobis esse necessariam, si vel rerum, quas continet, proprietates tantum obseruando cognoscere, neque ad primam usque eaurum originem ad-

<sup>a)</sup> Crit. der R. Vers p. 561 sqq.

adscendere nitaimur, adeo quidem non impugnamus, de eandem potius urgeamus quam maxime. Cavere nimirum non possumus, ne naturam conceptri finis cuiusdam & consilii subjiciamus, estque hic conceptrus norma absolute necessaria utsi vel empirici rationis nostræ. Cum vero temel receptum sit arque probatum hocce naturæ investiganda adjumentum, per se patet, dictam facultatis judicandi normam in totum naturæ applicandi, tentamen saltim nobis incumbere; siquidem multæ forsan *Quæcæ leges*, pro limitata mechanismo ejus interioris cognitione nostra in oculo manent, hujus ipsius ope normæ in apicum produci poterunt forsan.

Ergo quæri solum poterit, utrum istud principium subjective tantummodo valeat, videlicet norma facultatis judicandi nostræ solum sit, an principium naturæ objectivum, ex quo præter mechanismum, aliud illi competit necessario genus causarum, nempe finaliam, quibus motus leges viriumque morticium, ut causæ intermediae, subsint? Namque aliud omnino est, si statuamus generationem quartundam in natura rerum, vel etiam naturæ universæ, a iter fieri plane non posse, quam per causam, ex consilio fener ad agendum determinantem, vel si dicamus tantum, non posse nos, *pro natura virium cognoscendi nostrarum propria & peculiari*, de rerum possibiliitate, genetique judicare, nisi hujus cogitando informemus causam, ex finibus agentem: proinde ens, quod secundum analogiam & similitudinem cum causa intelligentie, rerum sit conditor & effector. Prius ratiocinium de re objecta decernere quidpiam audet, quod vero necessitatem inungit, realitatem conceptrus sumti objectivam probandi, posteriori autem nil determinat ratio, nisi legitimum facultatis cognoscendi nostræ usum, ad indo-

sem ejusdem atque constitutionem propriam, nec non ad conditiones, quibus ambitus limitesque ipsius definiuntur, essentiales convenienter. Superius itaque principium in decreto versatur objectivo determinantis, posterius in decreto solius reflectentis, subjectivo judicandi facultatis, normaque proinde a ratione ipsi praescripta, cernitur.

Est scilicet ratio facultas principiorum, semperque & necessario versus absolutum tendit ultimo nitorumque. Verum itaque licet sit, non posse nos, ultra omnem, quæ esse possit, experientiam, illius, quid res per se ipsæ sint, conceptum ostendere determinatum; non tamen in nobis est ut illius supercedeamus quæstione, vel omnino abstineamus. Namque experientia, ultra quam semet non extendit cognitionis humanæ campus, numquam rationi facere valet satis, quippe cum suis ad quæstiones responsionibus ad ulterius quoddam semper & ubique remittat & amandet. Ecquis nempe a semet impetrat, ut in illis, quæ ad explicandam mundi, rerumque in mundo originem, causam & fines, afferre valeat experientia ac subministrare, argumentis acquiescat, si quidem responsum, ex legibus experientiae constitutivis redditum quodvis, novam numquam non pariat quæstionem, quæ explicationem rursus efflagitat? Atque notio rei, cuius existentiam formamve cum adjunctione finis eiusdem ut possibilem judicamus, quum arctissimo cum conceptu naturæ illius rei fortuitæ ex legibus physicis conjuncta sit vinculo, (quapropter etiam res naturæ, quas solas fines esse posse intelligimus, præcipuum, quo probatur fortuitum esse rerum universum, atque unicum, coram sensu non minus communi, quam philosopho valens, efficient argumentum, quo ostenditur, ab ente quodam extra mundum ortum esse & pendere universum ejusque partes, propter

fini-

finibus convenientem eorum formam, intelligente) rationi non sufficit. Quæ igitur insufficientiam modorum omnium e natura rerum causas explicandi defumtorum animadvertis, naturam penitus relinquit, penitusque idem transcedentium supra omnes, quos per experientiam posit tueri, conceptus sublimis vesta, ens querit quoddam, in quo requiem inveniat, neque in spatio quodammodo finitum, nec in tempore, sed infinitum & omnes quæ cogitari possint, in le continens realites: verbo absolute perfectissimum, ex quo originem habeant omnia. In hoc vero negotio rationem non sequi valet intellectus, e cuius conceptibus tamen pendet realitas objectiva omnis. Ratioque, theoretice spectata, constitutiva nulla, sed regulativa tantum continens principia, quandoquidem objective syntherice judicare nequit, neque conceptum objective valentem potest producere.

An igitur evincit Teleologia vel perfectissima, ens eiusmodi realissimum, causam mundi perfectissimam, ex finibus agentem, revera existere? Minime. Nihil amplius probare valet, quam pro inde facultatis cognoscendi nostræ, atque experientia, cum summis rationis principiis conjuncta, non aliter posse nos de possibilitate mundi notionem animo formare, quam per causam originariam quandam. Cujus quidem objective explicandi conatinis periculum probat vel historia Philosophiæ, duo nobis sistens de principiis rerum possibilitatis objectivis, eausa que productorum finalium, systemata, sibi invicem contraria, atque ad id, quod pollicentur, præstandum, inepta ambo: Idealismi sc. & Realismi finium naturæ, quorum prior, omnem formam naturæ finaliem sine consilio propositoque esse prohibens, vel causalitatis est

vel

vel fatalitatis (a). Illa ratio est DEMOCRITI & FRICORTI, si  
ve etiam ante LEUCIPPI, *physica*, vi cuius technicam natu-  
ræ merumque mechanismum discriminis aliquid interce-  
dere prius negatur, contraque statuitur, esse corpore-  
la quedam lœvia, alia aspera, rotunda alia, partim autem  
angulara, curvata quedam & quasi adunca: ex his confe-  
ctum esse cœlum atque terram, nulla cogente natura, sed  
concuria quodam ortuita." (b) Contra SPINOZA, statutus  
systematis *hyperphysici*, cuius semina longo jam ante eum  
temporis intervallo conspicuntur c, fatalismi vel *Pan-*  
*theistici* (d), quam postulat ratio unitati absolute, optime  
confutatum judicavit idea entis, in quo, substantia una &  
sola, res in mundo omnes determinationes modo essent  
inherentes, vel modificationes, quæ substantia haud qui-  
dem ex consilio vel finibus quidpiam produxerit unquam  
vel producat; sed in qua ramen res, propter unitatem  
subjecti, cuius illæ mera accidentia sunt, omnes, etiam  
sine

- a) *Kritik der Urtheilkraft* von IMM. KANT. Berlin 1795 pag. 321 sqq.  
Cfr. *Eridat. Ausz. aus d. Crit. Schr. des Pr. Kants v. I. S.*  
Beck Th. II pag. 274 sqq. Th. III. 337 sqq. Riga 1796.
- b) CICERO de *Natura Deorum*, Lib. I. Cap. 24 pag. 489. Cfr. DIETI  
TIEDEMANN *Geist der Specul. Phil.* T. I. pag. 240, 373, 377  
Marb. 1791. *Gesch. der Phil.* v. V. G. TENNEMANN T. I. pag.  
268 sqq. 278 sqq. Th. III. pag. 379-385. Lpz. 1798. 1801.
- c) V. TIEDEMANN lib. cit. Th. VI. pag. 234. Degerando *Vergleich*  
*Geist. der Systeme der Philosophie* v. I. M. DEGERANDO. Ueb. mit  
Anm. v. W. G. TENNEMANN. B. I. p. 390. Marb. 1806.
- d) Antiquius sicut systematis nomen *Pantheismi*, respectu ad res sub-  
jecto universalit inherentes, recentius *Spinozismi* ad subjectum so-  
lo subiectus respectu habito. Cfr. *Kritik der Urth. Krit. v. IMM.*  
KANT pag. 406. Berl. 1793.

sine consilio & sine quodam necessario debeat ad se in-  
vicem convenienter referri. Qui ergo finium idealismus,  
cum ad mechanismum & necessitatem omnia referat,  
patet eundem in mera facultatis judicandi illusionem uni-  
versam ponere teleologiam. Huic oppositus est *realismus*  
finium tam *physicus* quam *hyperphysicus*; qui consilium sta-  
tuit atque propositum prodere rerum plures, (quarom  
scil. inter causas & effectus commercium animadvertisse  
reale unde jure elici posse judicat, universam rerum na-  
turam pro opere causæ habendam esse intelligentis. Hanc  
ce *physicus* vel in principio quodam interno, anima mun-  
di, ponit, vel in vita ipsius materiae (e), quarum prior  
*hypothesis*, commercium principii intelligentis interni, quod  
materiæ moveat, cum ipsa materia ponens, organisa-  
tionem, cuius causa ostendenda erat, assumit quodammodo,  
atque in circulo & petitione principii veriatur, po-  
sterior *Hylozoismus* absurditatem invovit & in conceptu  
repugnantiam, quum materiei, ut object sensuum exter-  
norum, essentialis sit character ipsa inertia. Hæc quidem  
in cogitando vitia prudens vitat *realismus* finium *hyper-*  
*physicus*, *Theismus*, ANAXAGORÆ vel forsitan ante HUX-  
MOTIMO (b) Initia debens prima (c) qui cum "tam certos  
cœli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia

B

integ

- a) V. CICERO de *Nat. Deor.* Lib. I. & TIEDEMANN lib. cit. Th. I.  
p. 124, 206. Th. II. p. 41, 131, 147. Th. III. p. 292, 437.
- b) ARIST. Meth. Lib. I. c. III. *αὐτοὶ δὲ ξει προτερού (τε Αναζωτ.)*  
Ἐμοτίμος ὁ κλαζομενὸς ἔστει (νεῦ—εῖναι — εἰ τῇ Φυσεῖ τοι  
αὐτοὶ καὶ τὰ ποσμά καὶ τῆς ταξίδεως) Opp. Tom. II. p. 1231.  
ap. Laemarium MDXCVII.
- c) *Gesch. d. Phil.* v. TENNEMANN T. I. pag. 314 sqq. TIEDEMANN.  
Lib. cit. Tom. I. p. 332 sqq.

inter se conexa & apta, verbo tantum videret admirabilitatem cœlestium rerum atque terrestrium", statuit Nœ, a mundo diversum prorsus, omnium horum esse causam. Autamen diffidendum non est, hocce, quod mirabilium pectora mulcet dulcedine, atque sublimitate elevat, ratiocinum, empiricæ syntheseos transilire limites atque naturæ, quem rationem unitatis finium in materia, extra naturam certo & determinato ponat modo. Quod jure fieri ut ostendatur, evincenda est impossibilitas hujuscem unitatis per solum mechanismum, demonstranda est validitas objectiva conceptus, quod ut substratum naturæ cogitando, non vero cognoscendo attingimus quodammodo, entis originarii. In hoc vero quum nihil quidquam amplius præstari possit, quam ut pro indole cancellisque vitium cognoscendi nostratum rationem vero vel hujus primam internam quis explicet?) intelligamus, in materia principium relationis finium determinatae quæsi non posse, nobisque nullum omnino restare originis productorum naturæ, in quibus finem agnoscimus, dijudicandi modum, si non pro effectibus supremæ illam habebamus causæ intelligentis, quæ vero ratio reflectentis est facultatis judicandi, non determinans: quumque conceptus causæ supremæ non nisi abstractione conditionum realitatis omnium oriri queat; neque potestarem asseritionis objectivæ facere nobis potest.

Quid itaque proprie efficere valer teleologia physica? Hoc, ni fallimur, ut doceat quem, ex nostro naturam dijudicandi modo, usum res in mundo sibi præstent invicem: quid utilitatis ipsi rei adferat varietas in eadem occurrentis: quomodo adeo sumi possit, nihil in mundo frustra esse ac temere, sed, posita conditione, ut certas res quædam tamquam fines existant, ad aliquid cuncta in

mundo conducere. Cui vero teleologico iudicandi negotio nullum aliud suppeditare valet ratio nostra fundatum, quæ principium, quod jobet architectonicae auctoris mundi cujusdam intelligentis mechanismum naturæ omnem subordinare. Quod principium idem, nil nisi methodum ex qua natura nobis sit consideranda continens, multum abest ut originis naturæ secum adferat demonstrationem objectivam.

Præterquam vero quod subiectiva tantum sint, quæ ex contemplatione mundi manant, de ordine ejusdem iudicia, neque ad omni modo determinatum conceptum causæ ordinis hujuscem constituendum sufficit universi, & quod continet, multiplicis ac variæ consideratio. Namque empirica tantum fuit data, quæ ad conceptum cause cujusdam universi, intelligentis, atque artificis naturæ summi, determinandum, suppeditat contemplatio mundi, omnia, neque ad alias proprietates concludendi jus quodammodo nobis tribuere possunt, quam quales ex effectibus ipsarum nobis manifestat experientia. Hæc vero quum nihil nobis offerat nisi limitatum, mancum & imperfectum, prorsus perfectam & absolutum aliquid numquam, ultra cancellos ab experientia nobis præscriptos certe evagamus, ubicumque auctori maiorem quam ad effectus a nobis cognitos producendos requiritur, tribuimus intellectum. Et si vel una ex parte multæ, immo plurima occurrant in natura sapientiæ vestigia lucidissima, neque ex altera diffidendum est, quedam in fluxis rerum vicissitudinibus nosmet offendere, in quibus nosmet saltam mortales sapientiam detegere valemus nullam. Ridet no-

a) V. KANTS KRIT, der Urtheils Kraft pag. 402.

J. G. Heineström  
aet. 1419.

12

nobis undulans pelagus immensum: cogitatione peregrinantes commercia, quibus anfam dederit & occasionem amplam, mercimoniorum, litterarum, morumque convenientiam agnoscimus rei, consilium miramus auctoris: — at saevit procellis, actum & turbinibus mare, totas navium clasres scopolis illidit, sapientipotentum milia naufragorum deglutit: inconvenientiam horremus, de causa quid judicabimus? Haud quidem nescimus, responderi soleare, speciosorem quam veriorem esse hancce inconvenientiam, nihilque nisi umbram repugnantiae pra se ferre vanam: Omne scil. quod tamquam dislonum nobis curta representet perspicientiae supellex nostræ, in harmoniam & concentum fravissimum iri conversum, si modo totam finium animo percurrere fieri, atque omnium, in intellectu divino conjunctum, systema uno comprehendere obtutu potis essemus. In hac vero ratiocinacione quid latet, nisi agnitus tacita, illorum etiam judiciorum haud paucis errorem subesse posse, quæ, certa quadam pro fundamento posita norma, cum fine convenientiam & sapientiam statuunt, atque ultra sphæram eorum, quæ fieri possunt, semet non extendere argumentationis theologicæ vim? Quæ ergo, in opinionibus posita & problematis, probationem firmam, quæ certa nisi deber cognitione, fundare non valet.

DE

ORIGINARIIS NATURÆ HUMANÆ  
INITIIS, FACULTATEM APPETENDI  
RESPICIENTIBUS.

10  
P. I.

CONSENT. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOENS.

PRÆSIDE

ANDR. JOH. LAGO,  
*Philos. Pract. Prof. P. O.*

VENTILANDAM,

PRO GRADU PHILOSOPHICO,

EXHIBET

FREDRICUS ADOLPHUS HOLM,  
*Stip. Publ. Wiburgensis.*

In Audit. Philos. die xv Decembris MDCCXIV.  
h. a. m. c.

---

ABOE, TYPIS FRENCKELIANIS.